

am circuli AB , ex centro C eiecta CFH totidem graduum AH arcum continebit, similem arcui DF primi circelli: & quia secundi circelli punctum G ab H , ad dextram ratione dupla processit, à signo H in signum G lineâ rectâ ductâ, patet eandem esse semissem dupli arcus AH , & GC semissem dupli arcus residui AH arcus de quadrante, hoc est, 60 . gr. cuius dupli subtensæ semissis est 8660 . partium, quare & AG 1340 . partium, quarum quæ ex centro 1000 . quantum videlicet G distat ab A in diametro AB . Quòd si verò AB præsupponatur 60 . GA erit talium 4 . & GB 56 . vnde facta parte proportionali ad 24 , habebitur AG vel BG in quacunq; parte assumptæ lineæ rectè determinatæ G signum subsistat, in tali casu.

Priori libratione, qua obliquitas Eclipticæ variatio demonstratur.

Priori libratione poli terra in coluro Solstiorum mediorum 24. scrup. ascendentes & descendentes, inclinationem æquinoctialis ad eclipticam 24. scr. variant.

His ita $\pi\alpha\chi\upsilon\tau\acute{\epsilon}\rho\alpha$ sanè $\mu\acute{\epsilon}\sigma\eta$ perceptis, in facili fuerit intelligere, quomodo & maxima æquinoctialis ab eclipticæ plano obliquitas varietur, & vera æquinoctiorum præcessio inæqualis fiat. Principio namq; (cum breuiore arcus à lineis rectis quoad sensum quidem, nihil differant) æquinoctialis medij polo septentrionali punctum C imaginatione applicetur: Linea autem AB sit arcus coluri, distinguentis solstitia media, inter polum æquinoctialis medij septentrionalem, & adiacentem polum eorū, qui eclipticæ polis æquidistant. Quare B est terminus minimæ poli diurnæ reuolutionis, seu terræ, ab eclipticæ, vt dictum, polo distantia: A verò inter eundem borealem æquinoctialis medij polum, & eclipticæ planum, vnde & maximæ poli terræ, à polo eclipticæ, remotionis. Præterea duobus circellis linea AB , vti conuenit, applicatis, intelligatur quantum ad præsens polus terræ borealis in G puncto, & motu duorum circellorum composito, lineam AB 24 . minu. describere; simili nempe machinatione polo meridionali moto, lege oppositionis seruata, ceu pendente mundo, maximam declinationem mutant.

Et assumatur, primum circellum in 3434 . annis Aegyptijs reuolutionem complere, & terminum, à quo principium motus anomalix, esse A punctum circumferentiæ circuli, cuius diameter libratione prima describitur; Atque cuilibet statim patebit, si præter hanc vnicam poli terræ nullam haberent librationem, ipsique poli terræ à coluro distinguente solstitia media non abscederent, quomodo tali polorum terræ motu tantum, angulus inclinationis
plani